Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA, DE BUBONE ET CARBONE,

QUAM

In Almâ Eberhardinâ,

PRÆSIDE

D. RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,

Facultatis suæ Decano Spectatissimo,

Domino Agnato & Patrono suo Venerando,

PRO LICENTIA

SUPREMOS IN MEDICINA HONORES legitimè obtinendi

Publico Eruditorum Examini submittit

GEORGIUS ALBERTUS CAMERARIUS,
Oetingensis,

Ad diem Novembr. A. MDCCXIII.

IN AULA NOVA

TUBINGÆ,
Typis JOHANN-CONRADI REISI.



Σ. Θ.



Hema Disputationis Inauguralis proponimus præsenti temporum conditioni tristi quidem eheu! conveniens, scilicet non secundum omnem sui amplitudinem pertractandum à genere per species, nisi quatenus una alteram declarat, & respectum habet illa reliquis potior ad luem, quæ ab initio ferè seculi ex ortu per Europæ provincias annuo cursu grassabunda, ne Septentrioni quidem parcens, jam serpendo magis magisque appropinquat. Non solùm itaque tutius adhuc extra teli jactum de malo disputamus, verùm etiam speramus ulteriorem in dubiis de re arduâ informationem, occasione proponendarum thesium undecunque ab expertis aut meliora doctis obtinendam. DEUS autem Opt. Max. qui scandentem anno 1666. adverso Rheno, & 1680. adverso Danubio luem compescuit, nec istam ad nos sinat pertingere. Si unquam (imò nusquam non) ad τὸ θεῖον cum Coo confugiendum est, tum in hoc casu maximè Benigno Numini supplices consilium rogamus & auxilium!

PHÆNOMENA

ex historiâ diræ luis selecta potiora:



Estis dicitur cum *bubone* & *anthrace*, vix sine his, nisi quos abripiat ante quàm ipsi erumpant, dum sui adhuc signa modò præbent per dolorem afficiendi loci.

Elevatur *bubo*, sive tumor ad loca glandulosa, vel unus vel duo, rarius plures; Declaratur Inguinalis uti frequentior sic tolerabilior præ Axillari & Parotide, quæ graviora inferat symptomata.

Legitur bubo pestilenti tempore interdum circumgestari adhuc ab orthostadio; Aliàs invadere pestis, ut erysipelas cum horrore & calore,

calore, hinc venire bubo citius tardiusve ad diem tertium vel quartum: Prætenditur autem febrem præcedens melior, sequens minùs, si æger indè non levetur.

Comparet vel adhuc sanæ parti concolor tumor, vel jam rubens inflammatoriè; malus circa & super quem quandocunque livor.

Secum fert dolores per individua & loca diversos: Et vehementia eruptionis & magnitudo nimia sunt suspectæ.

Bubonem non pergere, sed subsidere, rubentem pallescere, renitentem flaccescere, pejora minatur internis, quin mortem propinquam.

Quidam tamen memorantur cum morbo superati per discussionem & resolutionem insensibilem; metuuntur autem tales post se trahere novos.

Aliàs processus ad salutem est per inflammationem ad suppurationem; undè citi, constantes, maturantes, laudantur boni.

Apertus bubo relinquit ulcus, cujus mundificatio & consolidatio pro gradu mali & modo curandi variè procedit vel protrahitur, dum cæteris paribus benè terminatur.

Malignior *anthrax*, *carbo*, *carbunculus*, vel ex ratione nominis, sive quòd erumpens dolorem ardentem prunæ instar inferat, sive quòd offerat vesicam, quasi pars igne fuisset adusta, aut denique, quandò pessimus, livorem exhibeat & nigredinem carbonis; atro carbone notandus.

Dicitur uti bubo melior, qui ante, quàm qui post, febrem comparet; prior etiam ferri ab homine nondum dejecto interdum, cùm aliàs stipetur symptomatibus internis febriliter malignis ut quàm maximè.

Malè audit buboni accedens & caudatus, i. e. vibice protensâ bubonem respiciens.

Non æquè loca bubonum occupat, sed excitari solet passim per corpus, tam super ventres malè, quàm tolerabiliùs per artus, si maximè solus, & parvus.

Habet in medio vesiculam, in quâ tantillum aquæ, sub quâ nigra cutis, circa quam inflammatur, ardet in circulum vicinia.

Malè illud centrum sphacelando vim suam exercet introrsum, & evagatur extrorsum; si circumscribatur & excutiatur per peripheriæ suppurationem, tum benè sive in spem salutis. COL-

COLLECTANEA PHÆNOMENORUM prioribus illuſtrandis inſervientium:

SUnt enim bubones variorum affectuum ſive comites, ſive effectus, & ſe habent ipſi variè, modò benigni ferè neglectim habiti transeunt, aliàs pejoris notæ ſolicitam curam requirunt. Proſequemur ſpecies aliquot, ſi prius terminos quosdam paucis modò è *Galeno* produxerimus, quibus vel ſocios vel modos bubonum vel eryſipelaceos magis vel ſuppuratorios potiùs deſignaſſe videntur veteres. Ita enim Ille de tumor: *Dothien*, *i. e.* Furunculus *mitis quidem eſt, cùm in ipſâ ſolâ cute conſtituitur; malignus verò cùm altè exoritur*: Phymati *enim i.e.* tuberculo *ſic ſimilis eſt, ſolâque duritie ab ipſo differt. Ambo autem inflammabundi ſunt. Quos præter tertius quoque ipſe* Bubo, *quartusque quem nominant nonnulli* Phygetlon, *calore ſimul & celeritate generationis ab aliis tuberculis differentes. Sunt quoque qui dicant in inguinibus & aliis ſolis* phygetla *fieri, quòd adenum, quæ ibi ſunt, inflammationes ſint. Hi cùm indurati ſunt affectus, chæras, i. e.* ſtruma *nominatur.*

Quibus miſſis aut ſuppoſitis, famoſus maximè inter *bubones* poſt *peſtilentes* eſt *venereus*, tempore locoque duplex: Aliquandò enim colligitur materia circa glandes in membranâ ipſas inveſtiente, vel implente cavitatem inguinum, aliquandò propria ipſarum ſubſtantia intumeſcit: Ille inflammatorius, ſuppuratorius, in pinguedine magis; hic glanduloſus, ſcirrhoſus, rarò ſuppurandus, ſi diſſipetur luem daturus. Prior immediatè aut brevi poſt commercium impurum comparet: Alter diu pòſt. *Jonſtono* Id. Med. Pr. l. 11. *Helvetio* meth. de la verol. Quàm ſe habeat hæc inflammatio ad febrem, quomodò inguinis tumor ad vicinam genitalium inflammationem, ulcerationem & fluxum, ſunt circumſtantiæ, quæ omnino merentur attendi. Ulteriùs autem *H. ab Heers* o. 16. à carie venereâ tactâ aquâ forti poſtridiè tumores in capite & partibus vicinis obſervat.

Alterius porrò malignitatis ſocii fiunt tumores glanduloſi: Inter phænomena enim, ob quæ chirurgi *mammæ cancroſæ* extirpationem non fidam, ſed, ob malum alibi erupturum, fruſtraneam judicant, ſunt etiam dura ſub vicinâ axillâ tubercula.

Plus minus molestam intumescentiam infert bubo ad vulgare *erysipelas* in illo latere inguinis, sive sub axillâ, cujus pedem vel brachium rubens ardor invadit; superant illum plerique non difficulter, quasi transitorium, sive resolutum insensibiliter sive resorptum, dum & erysipelas benè procedit, sensimque disparet, nisi superficialis excoriatio serosum madorem inferat & exulcerationem, pro magnâ illa hujus mali familiaris per gradus modosque differentiâ. Sufficit vel unica *pustula* parvula ardens quasi turcois non ad tendinosa modò malleoli loca, sed & in mediâ surâ, ut inguen protuberet, utut nec dolor nec alteratio interna sit tanti, & concedat cum istâ molestiâ ambulare, nec ultrà mali quid post se trahat; nisi fortè mansuri tædiosè vel recursuri frequentiùs ulcusculi fiat principium.

His adde tumores mammarum lactantium à terrore ex observ. *Pechlini*; & oris pustulas, erysipelaceis similes, viso spectro imputari solitas ex *ann. 7. E. N. C.* Venatur enim pestis, ut canis, cursu prædam, in timidos audax; ceu loqui amabat olim ὁ δεῖνα, famosi phænomeni, scil. consternationis ad pestem frequentis sive causæ sive signi, etiam observator.

Subordinabimus his alios *ophthalmiæ*, *scabiei* graviori, frequentius recurrenti, familiares tumores glandulosos ut ad aures, sic & alibi, undè speciem quandam phthiseos scrophulosam constituit *Mortonius*, à tuberculis talibus pulmonum quoque vel crudis diutius vel citius inflammatis oriundam.

Hippocrates d. articul. accusat *tubercula* quædam, quibus trahentibus ligamenta vertebrarum spina *gibba* fiat, & addit, si fuerint infra diaphragma, solvi per varices venæ poplitis & inguinum. Porrò: quibus sub septo transverso gibba spina est, nonnullis renum & vesicæ vitia superveniunt: sed & *abscessus* ad ilia & *inguina*, qui diu manent, & ægrè sanantur: quorum neutrum gibbum solvit. Quod sic explicat commentator *Galenus:* tormina & varices gibbum solvere, (forsan fientem) quia fiunt à succorum gibbos excitantium transfusione; reliqua gibbum non solvere, quæ modò per consensum oriuntur. His adde respectum, quem habet *rhachitis* & *pædarthrocace* ad glandulas p. n. afficiendas.

Pueris autem qui oriuntur bubones, incrementi vulgo vel signa reputantur vel socii. Ad *aph. 26. s. 3. Heurnio* satyriasmus species quæ-

quædam eſt parotidis, fortè reſpondens eruptioni eryſipelaceæ ſcabioſi capitis: num itaque inguinum bubones ſub phymatibus puerili ætati adſcriptis erunt intelligendi. Addit ad aph. 55. ſ. 4. *Heurnius*, fieri bubones etiam *virginibus* tempore menſtruorum, ſc. cæteris paribus benignos, ſpontè diſparituros. Huc ſpectabit, qui ex *Hipp.* d. mul. morb. paſſim quoque citatur bubo *fœmineus*. Talium autem meminiſſe fas eſt vel eâ de cauſâ, quia peſtilenti tempore frequentia obſervatur abortuum, & periclitantur hæmorhagiis uterinis fœminæ, ut reſpectus ad marginales innoteſcat glandulas. Ne quid dicamus de *abſceſſu inguen perforante*, & lumbricos emittente, feliciter tamen curato, quod factum alibi legimus, & in urbe meminimus.

In *acutis* inter bubones imprimis frequentior *Parotis* varium hinc indè ſubit judicium. Apud *Mortonum* quidem in pyretol. p. 2. loco non uno parotis & affectus ſtrumoſus morbillis & variolis, mali moris, ac morbis congeneribus ſuperveniens, modò crudus ſine dolore & calore, à lymphâ in glandulis congeſtâ & ſub ſegni veneno lenteſcente tardè diſſipandus, aliàs pro ratione acrioris veneni & fervido ſanguine inflammatorio - exulceratorius, non malè audit, quandò ſub finem morbi natura ſarcinam deponit: In febre ſcarlatinâ tamen proponitur etiam nimiâ magnitudine & vehementiâ in apoſtema tendens parotis; à veneno tanquam peſtilenti ſub axillâ ortus bubo & exulceratus; quin ſuper pubem vetulæ gangrænoſum carcinoma. Quo minus ita ſimpliciter iſta tranſeant, jungatur C. *Raygeri* O. 4. A. 4. E. N. C. & D. 3. A. 7. O. 200. C. *Helwichij*, (quin & Cent. O. 87.) ubi teſtimoniis practicorum firmatur aphoriſmus *Hippocratis*: omnis Parotis peſtifera, vel ſic ad minimum proponitur, ut abſceſſus poſt aures perpetuò ſint ſuſpecti; quem & ita repetit Heers. l. c: magnas parotides ſemper eſſe mortiferas. Deduxit a. parotidem in ſuo caſu lethalem à carie & gonorrhœâ virulentâ. *Baglivus* quidem in praxi loco non uno: omnes pleuriticos ſanatos vidimus, quibus in interiora auris dolor, & exindè ſuppuratio, ſupervenerunt. Heurnius a. ad aph. 51. ſ. 4: A peripnevmoniâ vel pleuritide oborta parotis, quæ morbo finem non imponit, calamitoſa.

Cùm ſub finem anni triſtis memoriæ tertii hoc ſeculo à militibus infecti quidam nobis vicini pagi *petechiis* vexarentur graviſſimè, tum ipſis utique nec bubo nec carbo prorſus defuerunt, quin veſicæ

quibus-

quibusdam ægris ardentes à chirurgo excisæ ad cubitum, digitos, ipsum oculum, & tumores ad aures, sub alis, plures quidem quàm ad inguen, horum tamen quoque non nulli, suppurati observarentur. Malignam tamen hanc luem nemo tum pestem dixit. Sub eadem maligna tempora Ulmæ J. *Francus* in militibus, civibus nunquam, parotides ad sanitatem excussas observavit, & exemplo gravi notavit, d. Allel. p. 87. 188.

Verumenimverò carbones ne in universum omnes ita simpliciter habeantur pestilentes, monendum videbatur, suppetere quosdam aliquando eorum melioris adhuc notæ, s. *respectivè benignos anthraces*, agnitos & traditos passim, ubi de tumoribus scribitur. Quid quod in urbe nostrâ olim, dum oriens peste plectebatur, febribus inter- & re-mittentibus (à Magn. Dn. D. Elia Camerario, Agnato & Patrono meo Colendissimo, epist. singul. inter Dissert. nr. XIII. descriptis) diu nimis vexatâ, jam verò per Dei gratiam liberiore, annis itaque salubribus, præter & extra omnem luem, per menses æstivos, personæ aliquot fuerunt correptæ, ut aliàs abscessibus parvis, sive furunculis, ita tunc anthracibus per artus, utique benignis, nec enim symptomatibus gravibus, præter alterationem horripilatorio-febrilem, & doloris ardorem, erant stipati, nec obsessos ita dejecerunt, minimè quenquam abripuerunt, moris tamen sui tenaces, sc. excussione mediæ cutis, pergamenæ instar tensæ, tanquam cauterisatæ escharæ, suppuratoriâ, malacticis & digestivis obtentâ, à chirurgo promotâ, curati, postquàm, ne quid deesset, quandam vicinarum in flexuris artuum glandularum intulissent intumescentiam, sponte quidem disparituram.

Nec tandem bubones fluunt è morbis internis solùm, sed & ad *læsiones externas* consequuntur, vel à vulnusculo concitantur. Hoc doceat fatum *A. Spigelij*, qui referente prolixius *B. Silvatico* c. 3. r. 18. ex indicis digiti puncturâ dolorem & tumorem insignem in sinistro brachio fuerat passus: cui successit bubo seu abscessus sub axillâ, cùm gravi dolore, & febre acutâ; vigesimâ quidem sponte apertus. Sed cùm perstaret febris, cum tensione doleret hypochondrium dextrum, & succederet diarrhœa saniosa, mors Ipsius die sexagesimo tertio demùm subsecuta alteri abscessui in concava jecoris invento fuit adscripta.

Hypothe-

HYPOTHESES

Variæ occasione phænomenorum hinc inde propositæ.

Bubones esse vel à toto ex humorum copiâ & corruptelâ oriundos, vel à visceribus: Emunctorium *cerebri* esse in glandulis ad aures, *cordis* sub axillâ, *hepatis* ad inguen.

Bubones oriri vel per se, vel vi rerum extrinsecus incidentium: In posteriori casu naturam festinare cum sanguine, ut auxilietur parti dolenti; quandoquidem verò in itinere glandulas invenit, in eas qs. per digressionem lateralem diffundi partem confluentis humoris, & hærere parte in hâc, quia rara & laxa minùs resistit, minùs excutit. *Silvaticus* l. c.

In dolore pedis inguinum glandulas intumescere, communicatâ iisdem dolorificâ fibrarum crispaturâ, cursum fluidis cohibente, *Bagliv.* d. fibr. motr. Sive, à detentis per constrictionem compatientium nervorum humoribus, *Fr. Bayle* in probl. Denique glans in inguine ex dolente pedis apostemate refertur ad actionem regiminis Scholis ignotam ab *Helmontio.*

A bubone oriri febrem *ephemeram* simplicem, vel & plurium dierum: Refertur bubo inter antecedanea febris ephemeræ; Velut & erysipelas.

A bubone febrem per dolorem, vi stimuli membranas nervorum maxime tensorum afficientis non modò sed & cogentis majorem copiam liquidi in nervum cordis, ut concitetur pulsus: Sic dolor vitiat sanguinem, in vitio autem sanguinis consistit febris *L. Bellino*, in de febr.

A bubone febrem, per dolorem, præcipuè cùm suppuratur. Huc ergo spectat *aph.* 47. s. 2: dum pus fit, dolores & febres accidunt magis, quàm confecto. commentar. videsis in blas human. *Helmontii.* §. 52.

Non tam esse ex bubone, quàm cum bubone, febrem *putridam*: *Silvaticus* l. c. Aut, talem esse febrem, qualis est viscerum inflammatio, ex quâ bubones, qui sine manifestâ causâ, i. e. sine ulcere externo, fiunt: *Galenus* in comment. *aph.* 55. s. 4.

Heurnius ad aph. 15. f. 2: *Morbus omnis acutus excretione judicatur, nisi aut materiæ contumaciâ, aut naturæ infirmitate aut meatuum angustiâ, natura ab excretione ad abcessus sese convertat. Nam si in hæmorrhagiâ non satis effluat, parotides fiunt.*

Rationes, quibus abscessus post aures *Laudatis Autoribus* sunt suspecti, huc potissimum redeunt, quòd ferè superveniant fractis viribus, & videantur novas morborum attexere causas; quòd ab inferis ad supera fiant, ad partem principem, caput.

Denique bubonum *venereorum* aliqui arguunt l. c. virus externæ modò parti, quæ contactum sustinuit, inhærens, quales hinc præsumuntur spei melioris: Reliqui habentur pro crisi imperfectâ, oriundi à veneno, quod totam humorum massam infecerit prius, quàm se proderet externè.

Ad carbunculos æstivos, hybernas autem petechias, (quicquid sit de incerti temporis variolarum, & statæ dysenteriæ, malignis maculis.) atque adeò ad quæstionem: Cur *pestis* brumali frigore cesset; *encephalonosos* vigeat? liceat paucis etiam excerpere responsionem *Rhumelij* facilem: Quia illius arsenicale venenum à frigore cohibetur; hujus mercuriale ab eodem adjuvatur. confer. *Hechstetter.* obs. d. i. p. m. 48. *Ol. Borrich.* in Act. Hafn. v. 4. o. 61. *Plateri* obs. ad pest. ann. 1610. quin & *J. Graunt.* d. rat. libitinæ angl. §. 34.

DISQUISITIONES PATHOLOGICÆ.

EX præmissis formanda foret ætiologia, pro reddendis indè phænomenorum rationibus; quod tamen negotium, quandoquidem difficile multis gravatur dubiis, fas nobis sit tractari problematicè, per quæstiones. Quas inter prima esto hæc: Utrum *carbo* fiat à contagio, suscepto ab extra, vim suam exserente statim in parte illâ, quâ quis se ictum sentit, aut putat percussum, ab agente quocunque, non tam simpliciter vi spinæ infixæ, quàm stimuli cum fermento? Etenim non dolor modò attrahit, vel natura suppetias mittit parti læsæ, sc. ubi est, quod metuit, & cui metuit, quantumque potest prospicit, ut multo circa locum doloris & periculi sanguine fiat inflammatio, per ἕλξιν, sed etiam percelli omninò

creditur

creditur intimiùs aut infici, prout illud heterogeneum penetrare introrſum, vel inſinuatione in humores, vel affligendo ſolidas, videtur veroſimilius. Prior ita eſt paſſio particulæ, quæ ſuſtinet, ſuſcipit, quàm vel commoveatur vel inquinetur totum.

Faveret externæ cauſæ ferienti ſuperficiem analogia *puſtularum* & benignarum, e. g. ſimplicis ſcabiei, quas animato ſemine propagari volunt, & ſpecificè malignarum, ab impuro concubitu externas primò partes inficientium, nec in ipſis tamen manentium, ſed pergentium ulterius; quò non? Quod huc applicando fortè confirmari poſſet per illud phænomenon, quo pars, quæ tetigit, concepiſſe memoratur *anthracem*. Obverſatur etiam animo paſſio corporis non tam à *cauterio actuali*, quo tacta particula eſcharam contrahit, & *potentiali*, quo cantharis e. g. cutem veſicat, quàm potius â *veneno extus cuti illito*, vel per ictum aut morſum *animalis* venenati *illato*. Omninò analogiſmus *jobolorum* duo quæ huc ſpectant præcipuè offert: Externè locus circa centrum læſionis vario fato inflammatur; internè accenditur febris, cum ſpaſmis, deliriis, & ſi quid ultra diri eſt, & peſtilens. Utrumque modo non adeò abſimili à noſtro themate, quod pariter ultra partis externæ notorium affectum intus recondit magnam totius perturbationem, quin metuit deſtructionem.

Utrum igitur porrò à *carbone* eſt *bubo*, in peſte quoque quemadmodum ab ictu, à puſtulâ, ab eryſipelate? Sive ad carbonis plus minus propinqui præſentiam & violentiam intumeſcunt glandulæ? Ita videbatur olim *Platero* & *J. R.* CAMERARIO in memor. medic. cent. 20. §. 33. animadvertentibus ab anthrace lineam rubram ad bubonem, longo etiam interdum ſpatio porrectam: Undè judicarunt, provenire bubones peſte correptis quoque ob carbonis vicini ardorem doloremque, influxum hunc in adenes commoventis, uti accidit in inflammationibus aliis.

Quod ſi verò *bubo* fuerit *ſine carbone*, uti quidem loco citato ille hunc non ſemper, ſed plerunque modò, comitari legitur, utrum pro hoc caſu ſtatuendus erit carbo internus? Sive inflammatio interna viſceris quæ-vel qualiscunque à *Galeno* tali buboni, qui febrem non ephemeram, ſed malam, vi aphoriſmi ſuprà citati, in-

fert, adſcripta? Suos illa quidem gradus atquè modos admittet, pro quibus ratio periculi diverſa. Interim ſine carbone melioris notæ ſcribitur peſtis, quàm ut internum ſubeſſe facile ſuſpicari poſſis.

Aut, utrum bubones peſte correptis à venenatâ vi, per iſtas aliasvè vias ſuſceptâ, in ſanguinem penetrante, hinc autem in corporis emunctorium excuſſâ proveniunt ſemper? Secus ac videbatur *Laudatis Autoribus*. Ut fiant per ὦσιν ex tabulâ *Mœbii* 7. veniant ab intra, ex ſanguinis maſſâ ad ejus colatoria, judicandi ex doctrinâ criticâ, tanquam ſpecies κατ' ἀπόστασιν, vel per μετάστασιν, pro *criſi* vel totius vel viſceris, in totum vel in tantum liberandi. Partes enim quæ propagines vel *germina* habere dicebantur *Hippocrati* in epid. explicantur e.g. per hepar, cui dexter, uti ſiniſter lieni, reſpondeat bubo, ſi quandò κατ' ἴξιν benè procedit negotium. Forſan ita ſe habent in chronicis meſenterii glandulæ ad ſcrophulas.

Ex iſtâ ſententiâ quid & quantum *carbo* habebit *critici?* quomodò inter ſe divident hoc prædicatum bubo & carbo? Certè in carbone particulæ deſtructæ mors eſt. Ubi critici vix aliud quid poterit concipi, ac ſeparatio mortui à vivo, excuſſio eſcharæ, actus inflammatorius, ſub quo pus per marginem, per ambitum fit. Aut minus illud malum, dum in cute figitur, quod mortificat; quanto melius, ac ad carbonem internum? Vel, utrum differentiam fundabit diverſitas materiæ & loci? Si venenum cum rubrâ ſanguinis parte fibris infigatur, datura carbonem: in mitiore caſu cum aqueâ ad glandulas hæreat ſive deponatur pro bubone; prout ſc. diverſis per res nat. & non-nat. perſonis plus eſt vel choleræ vel lymphæ. Quaſi bubo locum occupet convenientem, ſcopo aberret carbo; quicunque in hoc actu ſit jaculator. Utique informari vellemus, quantum diverſa carbonis conditio bubonis maturationi vel faveat vel obſtet; an nunquam ſuppleat?

Quod ſi verò abſceſſus peſtilentes *partiri* videantur iſtos modos, & eorum quidam fieri per tractionem, alii per pulſionem, quinam diſtinctè ita erunt agnoſcendi? Crudi ne vel inflammatorii? Præcoces an ſerotini? Paradoxon certè non leve, quosdam in publico

blico per dies posse circumferri ab obsessis, ut quidem videtur, absque plenâ prostratione statim, citâve dejectione, non tamen sine præviâ & conjunctâ plus minus dubiâ ægrimoniâ, commotione, alteratione. Aliàs commentator *Vallesius* ad suum Hippocratem: *Quæ judicant in melius, ne statim appareant.* Tanto enim major irritatio & naturæ impotentia significatur. p. 93. & 83: magna significatio est malignitatis materiæ intempestiva expulsio. Nisi facilis processus meliora doceat.

Longè in hoc omni processu aliter isti duo, quàm maculæ: quarum livor nec cum dolore nec cum tumore est, quarum locus nec inflammatur nec suppuratur. Malæ non ut causa, sed ut signum, dictæ *Diemerbroeckio.* Nam ab olim ex *Schenckii* obs. l. 6. petechiæ nigræ deteriores audiunt quàm carbunculus & bubo. Sc. natura luctum pullo jam colore declarat. Mereretur autem & hîc applicari respectus ille *macularum* ad *hæmorrhagias*, quem singulari dissert. proposuit Exc. Dn. D. ZELLERUS, Patronus & Promotor meus Venerandus.

Quod ergò in tab. *Mœbij* 16. dicitur de abscessu critico in genere, id omne intelligendum & applicandum erit ad species, ut alias, sic & ad pestilentes, sive ad crisin pestis per bubonem & per suo modo carbonem. Adsint oportet requisita ibi recensita per circumstantias temporis, loci, modi, successûs, si benè velint audire, ne fiant ut fieri proh dolor solent crises ad mortem malæ. Ex quo censu suspecto est criseos emansio, defectus, debito tempore nusquam comparente locis solitis, quod debebat; Ejusdem pullulantis, germinantis interruptus progressus, quin retrocessio. &c. Aut etiam illud iterum *Hippocratico-Valesianum* p. 26: abscessus quodam anno fuisse majores, quàm ut ferri possint; vel minores, quàm ut prodessent. Et quicquid est ultrà talium anomaliarum. Tot verò requisitorum concursum quis ita promittet vel præstabit facilè, siquidem & hîc bonum desumitur ab integrâ causâ, malum à quolibet defectu.

Autoritatem dictis accedere si quis velit, ne prolixi simus excerpimus modò aphorismos quosdam è med. stat. *Sanctorii*; ubi multa, cum comment. M. *Listeri*, quæ planè merentur attendi.

Sic autem Ille nr. 132. 133: *Si thrombus*, ſanguis ille paucus, ab infecto Spiritu vitali congelatus, & extrà pulſus, *totus expurgetur per bubones & carbones*, *ſanantur*; *ſi non totus*, *moriuntur.* Hinc *quibus anthraces & bubones aperiuntur*: *ſi interna infectio tota exeat*, *ſanantur*; *ſi minùs*, *moriuntur.*

DELIBERATIONES PRACTICÆ.

PRo fundamento therapeiæ, ut fiat conformis pathologiæ, ponemus textum è libr. 2. epid. ſect. 3. ubi *Hippocrates* ita: *Abſceſſus non fientes facere: fientes autem declinare: hos autem excipere, ſi eant quales oportet: qui verò non valdè, cooperari: eos autem avertere, qui omninò inutiles fuerint, præcipuè autem hos futuros, ſin aliter, cùm nuper inceperint.* Quinque hic recenſentur indicationes diſtinctæ de diverſimodè ſe habentibus abſceſſibus, quarum tres, ſc. *facere*, *excipere*, *cooperari* valent de bonis, criticis; duæ reliquæ, ſc. *declinare*, *avertere*, de malis, ſymptomaticis, apud *comment. Valleſium* ad loc. cit.

Equidem, ut ſigillatim indicationes, quarum prima eſt, *abſceſſus non fientes facere*, perſequamur, facilius eſt hoc dicere, quàm facere, nam talia naſcuntur, non fiunt arte. Quomodo igitur hæc indicatio deducetur in actum? Videtur ante omnia omittendum, quicquid impedit ut eruptionem, ſic maturationem; tentandum potius, ut compeſcantur fluctus alieni, dirigantur motus ſymptomatici; hinc proſpiciendum erit viſceribus, gangrænæ & ſphaceli periculum ſubituris, quî præſervari aut liberari poſſint, ut emittant, aut germinare ſinant abſceſſus; Denique promovendum, pellendum, ab intra, ubi licet, ubi opus eſt, vel per media generalia, vel ſi quæ ſuppetant ſpecifica, à nobilioribus ad ignobiliores. Talia enim ſunt externa, qualia permittuntur eſſe ab internis. Ampliſſimum itaque hîc erit thema pro conflictu, indicatis iſtis quantum obſtent ſimpliciter & abſolutè vel ſub incongruo & intempeſtivo ſaltem uſu venæſectio, vomitoria, certa laxantia, aut conveniant alexipharmaca, bezoardica, ad ſudorem unicè laudata olim, hodiè ſuſpecta, quòd cieant, quas ſedare conveniret, turbas,

niſi

nisi cautè ægris attemperentur. Eodem libro 2. sect. 5. scripsit Cous: *Fac ignem.* Transeat hîc puerperium, de quo ibi sermo est: In lue si potior malignitas, quàm febris, venenum subjugari, expelli aliterne poterit, ac per febrem medicam, vix nisi per alexipharmaca faciendam? Hæc autem facta utrum hinc suo curanda antidoto?

Quod autem per externa *facere* possumus, sive per instrumenta, secando vulnus, sive per media urendo, carboniformem escharam, & ab eâ ulcusculum, fonticulum, illud omne huc spectabit, hujus erit deliberationis: Utrum abscessus non fientes quis possit facere invitando, disponendo partem ad faciliorem receptionem per relaxantia, emollientia, citius usurpanda; de qualibus ad sec. indic. plura; Hinc & attrahendo, solicitando, irritando per fortiora, per cucurbitulas, vesicatoria, cauteria, loco convenienti aut vicino, sub primum principium, mox ad primum sensum, quin præservativè, admovendi, imponenda, (qualiter à venenato animali læsæ partes solent tractari.) ut suppleant emunctoria artificialia defectum vel insufficientiam naturalium, ex consilio *Lancisii*, in diario veneto, Tom. x.

Secunda indicatio fuit: *fientes, si eant, quales oportet, excipere.* Hoc verbum explicuit Interpres per τὸ nihil facere, sed sinere, ut fiant. Quo ipso iterum prohibetur omne obstaculum intus vel extus motui critico temerè ponendum tam ex diætâ quàm pharmaciâ. Deinde innuitur, ut expellere, sic & maturare, iterumque consolidare, negotium esse naturæ, illius morborum ex l. 6. epid. medicatricis, quæ in quibusdam casibus sibi etiam sola sufficiat: Ne quis in tali occupetur operosus, aut de tali glorietur vanus. Utinam ita sit medicina multis non necessaria, cæteris non insufficiens! Sub isto tamen verbo, intelligi etiam poterunt anodyna, paregorica, doloris intensioris mitigationi convenientia, dictis & dicendis subindè miscenda vel interponenda.

Tertia indicatio: *Fientes si eant non valdè*, i. e. non satis, *cooperari*, i. e. juvando naturam conari, ut perfectè fiant. Ex hoc capite præter laudata interna, sunt laudes undique per gradus emollientium, maturantium, suppurantium, rumpentium externorum cataplasmatum (cavendo frigus.) & emplastrorum. Seligantur quæ

facilè

facilè parari & applicari possunt, ut vel in casu necessitatis homo in tantum sibi ipsi possit esse chirurgus; modò quem homines destituunt, nec ratio nec vires destituant. Talium numerus est magnus, compositorum vix finis. Officinalia sunt duo empl. c. gumm. diachylon & malacticum, (quod chirurgorum quidam mixtum suo oxycroceo efficacius prætendunt.) & novum in consilio *Coll. San. Austriac.* Simplicia potiora, quæ vim fundant istoram, sunt præter bulbos, ficus, &c. illa ipsa tria maximè, quæ tam furunculo in specie, quàm abscessui in genere, dedit olim *C. Celsus*: Sc. fœtens & potens, etiam resolvendo, *Galbanum*, cum socio ammoniaco, quid nî certis de causis etiam asâ fœtidâ? Porrò *Resina*; & sunt chirurgi, qui contumacium abscessuum medio destinant prævalentius aliis empl. ad fracturas. Tandem & *Fermentum*; cui mel cum farinis, & panem mellitum, accensere licebit vel adjungere. Nam ut maxime distinguatur bubo pestilens à venereo, aut quocunque alio, non aliter tamen curatur ac hic inflammatorius, non præscribuntur ipsi alia quam omnibus communia, nisi veneno quid specificum dari possit; de quo statim. Non absonum autem omninò citare explum venereorum, nam apud *laud. Autores*, quibus add. *Vratislavienses Nat. Cur.* ad ann. 02. talium quidam possunt esse & curari absque infectione totius, eorum suppuratione corpori melius consulitur, quàm resolutione, quorum & omnimoda maturatio rarò expectatur, ut hinc citius aperiantur, diutius suppurentur; qui purgando, venam secando impediti fuissent, quin regimine sudorifero diffusi magis per totum; adde, quod tandem dictis non cedentes tradan tur curandi mercurio. Redeundo hinc ad parotides, hîc pus in superficie non expectandum, loc. jam. cit. monuit *Helvvichius*. Chronicis tamen ad aures, sub genâ, tuberculis tædiosè pertinacibus imposita malactica tandem inflammationem & suppurationem ita fortè superinducunt, ut hæc non tam glandulosæ molis quàm integumentorum esse videatur, cum sub aperto abscessu durities perstet adhuc, in tantum potius, quàm in totum, tardè diminuenda. Denique istud cooperari etiam importat aperti abscessûs mundificationem & consolidationem; de quibus tamen modò non plura, quoniam abundè olim Præsidis *B.* PARENS in d. ulcer. antiq.

Duæ

Duæ ultimæ indicationes, *Fientes declinare*; *inutiles*, quanto magis noxios, *futuros avertere.* Quo ſenſu hæc & quomodo? Vix *in totum*, ut omnes peſtilentes declarentur tales; quaſi curari poſſit peſtis ita, ut ne fiant in eâ abſceſſus. Hoc enim eſſet quidem in deſideratis, ſed vix creditur eſſe in artis poteſtate. An itaque *in tantum?* ut idem dicat, ac moderari nimium protruſionis impetum & magnitudinis exceſſum. Vel tentare, utrum *absque* ſuppuratione per reſolutionem futurus abſceſſus diſcuti poſſit; quod de plerisquè eryſipelatum obtinet, in ipſâ tamen peſte interdum etiam fieri, fidem facit hiſtoria, ut alibi, ſic & in ſcripto *Petr. Gabrielis* cap. 5. & in Obſerv. *A. Thoneri.* Aut deniquè de *loco* ſaltem illæne indicationes erunt intelligendæ? Ut ſc. fiens & metuenda parotis, bubo ſubalaris, hinc aliorſum, antè quàm figatur in partem, tempeſtivè, occaſio enim præceps, ducatur meliùs deorſum juxta proceſſum indicationis primæ; modò ſequax manuductioni obediat. Applicuiſſet fortè in tali caſu exemplum afflicti ſui capitis, quod in præfat. ad fibr. motr. recenſuit *Baglivus*, quantum ſolaminis ſenſerit à fomentis inferiorum. Ordo Veterum erat incipere à repellentibus, progredi ad diſcutientia, poſteà demùm ſe accingere ad coquendum; Quem verò Ipſi multum limitarunt, reſpectu maximè ad abſceſſus habito criticos. de quo videſis Exc. Arch. *Dn. D.* GERLACHI, Patroni & Cognati mei Honoratiſſimi, Inaugur. thes. ult. Ecquod autem defenſivum melius, vel quid maturativis prius, ſuppetit, ac bonus vini Spiritus cum camphorâ?

Inprimis huc ſpectat illud *Riverii*, quod multi citant, pauci credo imitantur, paradoxon: Parotides ſymptomaticas, quæ nec alexipharmacis nec attrahentibus juvari potuerant, in ipſo morbi maligni ſtatu, venæſectione primùm partitis vicibus, dein purgatione, feliciter fuiſſe curatas: Sic evacuationibus ſuppleri potuiſſe, quod natura inchoaverat, per conditionem loci verò abſolvere non potuerat, ſufficientem nimirum materiæ mortificæ eliminationem. *Mortonus* quidem l. c. vehementiam quoque parotidis moderari ſuſtinuit ſecando venam, ſed non niſi in iſto urgente caſu, aliàs id prohibens, & veſicatoriis atque alexipharmacis, ne quid præjudicaret elevationi & maturationi abſceſſuum, mox ſubjunctis ſoli-

citè curavit; qui de cætero in declinatione variolarum ad parotides nec sui corticis obliviscitur, & crudis chronicis sua destinat purgantia, resolventia. Unde hîc præcipuè quæras: Utrum in peste nulla eccrisis præstet, quod speratur ab apostasi? Hinc istam num imitari ars possit, & vel sic adimplere indicationem Coi. E coacis quidem passim, e. g. in manuali *Bicaisii*, p. 77. citatur aphorismus: *Ex præcipitibus morbis in febribus ardentibus maximè tubercula ad aures exoriuntur, ac nisi judicatoriè solvantur, & maturescant, aut sanguis è naribus profluxerit, aut crassum sedimentum urina acceperit, ægros interimunt.* &c. Talia utique in tantâ hominum strage tentativæ medicinæ forent commendanda.

Sub istis *abscessuum* indicationibus utrum comprehenditur & illa *carbonis*? Duabus hîc partibus constat consilium *Hippocratis Latini* de re med. l. 6. c. 28: *Nihil melius est, quâm protinus adurere.* Hoc ne crudele, ne grave videatur, mox subjungit: *Nam non sentit, quoniam ea caro mortua est.* &c. Quod si in summâ modò cute vitium est, sufficere concedit medicamenta, vel exedentia tantum, vel etiam adurentia. Sic Bb. ANTECESSORES FAC. MED. in consil. de anno 1626. spiritum vitrioli, aquam fortem illinendam suaserunt; & passim proponitur antimonij butyrum. Hinc pergit Ille: *Tum deinde vulnus, sicut cætera adusta, curandum est.* &c. Legatur caput totum, quod in angustiam pagellarum transferri non potest. Pro hoc a. scopo laudarunt nostri empl. d. fuligine, quod l. c. videsis. Quid verò videtur in gravi casu de nigro epithemate? aliàs periclitantium de gangrænâ & sphacelo partium præsidio.

Cui ergò indicationi respondent ex regno animali *Bufo*, Rana, Scorpius? speciosa leguntur prædicata; arcere contagium, extrahere virus: quod aliàs à carne viperæ, scorpio contrito, &c. venenato vulneri impositis speratur; quod & à *cobra de capelos* ancipite fide inter *Redum* & *Baglivum* prætenditur. Benè omninò, siquidem ita veneno in limine possit occurri. Quibus suppetit, quæ nobis hîc deest, experientia, non fallax, ista determinent.

E minerali regno *magnes arsenicalis* cui bono vel solus vel in emplastro? An reverà magnes? non ob lapidem magnetem, qui

non

non ingreditur, ſed ob virtutem attrahendi venenum. An, cen nobis quidem videtur, ſimpliciter ut eſcharoticus, atque ita ſingulare nihil promittens?


Item ex hoc regno, quid pro glandulosis locis & morbis, quid pro veneni efloreſcentiis, per analogiſmum, de *mercurio* ſperandum? Nec deeſſent autoritates, nec præſumptiones, pro indicationibus fortè poſterioribus, ut in conflictu affirmativam ſuſtinere auſimus, donec prudentia practica rem dubiam quidem, magni tamen momenti, vocaverit in examen.

Denique ex vegetabili regno, ut plurima hujus familiæ reſervemus alteri fortè occaſioni, *Acida* illud e.g. *Citri*, cum indicationibus iſtis quomodò conciliari poterunt?

Reſpondere ad hanc quæſtionem tunc licebit ſolidiùs, cùm ex afflictis hactenus, utinam tandem liberandis, locis ſpecialiores determinaverint obſervationes illos acidorum, quæ generaliùs laudantur, effectus, quo ſe habuerint modo. Sc. utrùm ab illorum uſu, vel ſolorum vel cum alexipharmacis, non fiat carbo? Et ſic probet infractum contrario virus urinoſum. Vel, utrum indè bubo fiens quidem, ſed non ſuppurandus, fundet ſpem obtinendæ tutò reſolutionis? Aut, an uterquè benignior modò, ſua tamen decurrens tempora, declaret, tali remedio ſublata fuiſſe apoſtaſeos ritè abſolvendæ impedimenta, ut benè fieret, quod fieri debebat, gangrænæ loco pus modo conveniente.

Et iſta quidem ſufficient ad diſputandum: ad decidendum opus erit certo ſucceſſuum teſtimonio. Nos interim iſta obſignamus votorum ultimo: Liberet nos à malo, qui in cœlis Pater, cui ſit

SOLI DEO GLORIA.



ULtima Cognatum comitetur linea voto;
Sit tutela DEI Gratia firma Tibi!

CANDIDATO

accinit

PRÆSES.

Quid labor in ſtudiis poſſit, quid ſedula cura,
Exemplo monſtras, ſuavis Amice, tuo.
Non ergò mirum quod lux hodierna coronet
Tempora, quod fauſtum ſit Tibi, mente precor.

Meliori animo quam calamo, ſuo, per ſemiluſtrum hactenus contubernali amantiſſimo memoriam ſui atque favorem de meliori commendaturus, appoſuit,

Lud. Frid. Hirſchmann. Stud. Juris.

DE cathedrâ Cognate modò dum tendis ad ægros,
Succeſſu felix perge favente DEO.

Fautori & Amico Honoratiſſimo gratulabundus ſcripſit

A. Camerarius. Med. Stud.

B*Ubones* equidem, ſed non *puerilia* tractas,
Cammerer, & *Bubo* carmina læta canet.
Carbonesque notas, nec Tu *carbone* noteris,
Sed Tibi Phœbigenæ candida dona dabunt.

CONCAMERATÆ amicitiæ ergo poſuit

M. Tob. Frid. Hock.